Quod felix faustumq; sit!

EXERCITIUM ACADEMICUM

exhibens Discursum

DE

SUCCESSIONE FEUDALI

brevem,

quem

Autoritate & Consensu Magnifici ac Nobilissimi JCtorum ordinis in famigeratissimâ legum Nutrice ad Salam,

PRÆSIDENTE

VIRO

Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo, atque Excellentissimo

DN. GEORGIO ADAMO Struven/

JCto, Prof. Publ. celeberrimo, Consiliario Saxonico gravissimo, facultatis Juridicæ Seniore eminentissimo, Dicasterii Provincialis & Scabinatus Assessore meritissimo,


Dn. Præceptore ac Patrono suo omni observantiæ atque honoris cultu ætatem devenerando,

benevolæ eruditorum censuræ subjicit

GÜNTHERUS MACKIUS, Königsea-Schwartzburgicus

AUTOR

in Themisterio publico



Ad diem Novembr. horis consuetis.

JENÆ,

è Typographeo JOHANNIS NISII, Anno M DC LX.



PER-ILLUSTRI ATQUE GENEROSISSIMO
COMITI AC DOMINO,
DOMINO
ALBERTO ANTONIO,
SACRI ROMANI IMPERII QUATUOR-VIRO, COMITI SCHWARTZBURGI & HOHNSTEINII, DOMINO ARNSTEDI, SONDERSHUSÆ, LEUTENBERGÆ, LOHRÆ & CLETTENBERGÆ, &c.

Domino ac Comiti suo Clementissimo

Exercitium hoc Academicum

humilimè offert,

consecrat

Subjectissimus
atq;
Devotissimus

Cliens & Servus

GÜNTHERUS MACKIUS.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI feliciter ad omnes actus progredimur. *l. 2. pr. C. de offic. Praef. Praet. affr.* Hinc discursum praesentem in divino ipsius nomine meritò exordior. Sit itaque

THESIS I.

Quamvis nulla antiquissimo tempore in feudo successio obtinuerit, sed pro arbitrio Domini singulis annis revocari potuerit. *I. f. 1. §. 1.* Nihilominus tamen tractu temporis tacitè irrepsit, & primò ansam dedit, quod per annum *d. §. 1.* & deinde in vitâ non poterant auferri *d. §. 1.* donec in usu esse coeperit, sed tantum restricta ad lineam descendentem & quidem primùm ad filios. *d. §. 1.* sed postea etiam ad nepotes *I. f. 1. §. 2.* & deinceps usque infinitum. *I. f. 1. §. 4.* est extensa. Sequenti tempore tamen valere incepit in linea collaterali, & primò tantùm fratrum successio. *I. f. 1. §. 2.* postmodum verò ad patrueles *I. f. I. §. 4.* deinde ad quartum gradum. *I. f. 8 §. 1. II. f. 26. §. 51. vasallus culpam.* & ulterius usque ad septimum gradum transiit. *d. I. f. 1. §. 4. d. I. f. 8. §. 1.* Donec tandem (puta in collateralium masculis ex primo tamen acquirente per lineam masculinam descendentibus) in infinitum jus hoc succedendi fuerit devolutum, tam in feudis Regalibus quam

 aliis.

aliis. *I. f. 14. II. f. 93. in fin. II. f. 31.* quo jure etiam moribus hodiernis utimur.

II. Longè autem differt hæc successio à successione communi; In hac enim primo loco attenditur ultima voluntas defuncti, & deficientibus testamentariis heredibus, denique ab intestato succeditur; In jure verò feudali posterior tantùm locum sibi vindicat exclusâ omni successione testamentariâ. *I. f. 8.* id neque injuriâ; Nam de illis demum licet testari, in quibus aliquis liberrimam disponendi habet potestatem; aliàs non ex nudo testatoris beneficio perveniret. *l. 22. §. 1. ff. de Adopt.* Atqui Vasallus non habet liberam disponendi potestatem; quia non est plenus Dominus, Ergò neque testamento ad alium deferre potest; quod in tantum verum est, ut, licèt Dominus feudi in testamentariam dispositionem consentiat, cum nec hic regulariter agnatis aliisque legitimè successuris præjudicare possit, nullum exinde accipiat effectum. vid. *b. m. Dn. Gottfridus Suevus, P. P. Witteberga quondam celeberrimus, Præceptor meus desideratissimus. Exercit. Feud. 6. §. 3.* Ex allata ratione etiam exheredati intrepidè succedere possunt, nec attenditur, sive causa exheredationis fuerit justa, sive injusta, cum enim hereditas & feudum sint separata. *II. f. 45.* quid ni etiam exheredatio è privatione feudi? imò nec plures filios habens uni ex filiis plus. quam alteri assignare potest. *I. f. 1. §. quia videmus.*

III. Dicta tamen limitantur à Doctoribus affirmantibus (1.) quod in feudo novo Pater cum consensu Domini etiam in præjudicium filiorum, in feudo disponere possit. *II. f. 55.* æquum enim esse, dicunt, ut, quod Pater acquisivit, & Patris contemplatione concessum

est,

est, possit cum concedentis consensu pro lubitu alienare. (2.) Excipitur feudum hereditarium, ex hac ratione, quia heres contra factum defuncti non potest venire, nam ex qua persona quis lucrum sentit, ejus factum impugnare non potest *l. 149. de Reg. Jur.* & his duobus modis etiam exheredatio locum habet. (3.) Posse disponi, si consensus Domini interdum solus, interdum unà cum consensu agnatorum accedat; talis enim ratificatio, licèt fiat in præjudicium Domini ratificantis & agnatorum consentientium, mandato æquiparatur. *l. fin. C. ad SCtum Mac.* (4.) Valere existimatur, si instituti sunt, qui aliàs ab intestato erant successuri *v. g.* filii, quia nec Domino nec agnatis præjudicium inde fieri videtur. (5.) Adducitur consuetudo, quia hæc præfertur juri scripto.

IV. Præter hos verò casus dispositio testamentaria adeò prohibita est, ut, etiamsi Principis autoritate confirmetur, nullum effectum habeat, aliàs enim jus quæsitum, quod habent successores legitimi, ipsis auferreretur, & tali confirmatione ad alium transferreretur, quod non debet fieri. *l. 11. de Reg. Jur.* neque id ex plenitudine potestatis facere potest, quod probo hoc argumento: Quicquid est contra jus Divinum, Naturale, & Gentium, illud Princeps non potest; atqui subjectis bona auferre est contra Jus Divinum, Naturale & Gentium. E. Subjectis bona auferre Princeps non potest. Consequentia Majoris est clara, quia Princeps illis juribus est inferior. Minor est trimembris; Primum membrum probo *1. Reg. 10. v. 9.* ubi dicitur, quod Princeps ad faciendam justitiam sit constitutus; Contra justitiam autem facit, si autoritate suâ cuiqnā suum aufert, cum ejus pro-

prium ſit alienum non attingere *Ezech. 45. v. 8.* Secundum membrum, quod nimirum ſit contra jus naturale, nititur hâc ratione, quia juri naturæ æquum eſt, ne quis cum alterius damno fiat locupletior. *l. 206. de Reg. Jur. l. 14. ff. de condict. indeb.* Tertium membrum probo, quia ita nemo aliquid certi poſſet poſſidere, cum tamen dominia Jure Gentium ſint introducta. *l. 5. ff. de J. & J.* Parumque refert, ſive illa Teſtamentaria diſpoſitio ſit ſolennis, ſive minus ſolennis, cum nec ſaltim ad animæ ſalutem, vel ad pias cauſas vel Eccleſiæ commodum legari poſſit. *II. f. 9. §. 1. in pr.* imò nec æſtimatio rei legatæ debeatur, quod probo, quia, quoties legatur res, cujus commercium legatarius non habet, tunc legatum usque adeò nullius eſt valoris, ut nec æſtimatio inde debeatur. §. 4. *Inſt. de legat.* atqui feudi commercium Vaſallus legatarius non habet, uti apparet ex Theſ. 2. Ergò legatum eſt adeò nullius valoris, ut nec æſtimatio inde debeatur.

V. Succeſſio feudalis igitur talis eſt legitima, quæ ab inteſtato defertur, & poteſt deſcribi, quod ſit nihil aliud, quam modus, quo Vaſallo priori deficiente, feudum ad legitimum devolvitur ſucceſſorem. Ad ſucceſſorem autem legitimum requiritur, ut feudi ſit capax & quidem ex ſanguine primi acquirentis per lineam maſculinam legitimè propagatus v. g. filius *I. f. 13. v. etſi clientelus.* Nepos, Pronepos, Abnepos, imò nec naſciturus *v. g.* Embrio poteſt excludi, unde vidua gravida tam diu ventris nomine poſſeſſionem retinere poteſt, donec pariat; tunc nativitas poſthumi maſculi probari debet, ſecundum Jus Saxonicum, quatuor viris & duabus mulieribus, quæ parturienti præſtò fuere. Landr. *lib. 1. art. 33. v.* und hat die Frau das Zeugnüß. Neque excluduntur filii

filii per subsequens matrimonium legitimati, tales enim naturales amplius dici non possunt, quia censentur nunquam naturales fuisse, sed habentur propter subsequens matrimonium, quasi ex affectione maritali in conjugio procreati essent. *l.5. in fin. C. de natur. lib.* Adeoque legitimus & legitimatus per subsequens matrimonium sub uno nomine & sub eadem appellatione continentur in *Nov. 12. c.4. circ. fin.* Neque illi, qui ex erroneo matrimonio sunt geniti *i.e.* ex parentibus, quorum ambo, vel alter per errorem bona fide contraxit nuptias. *Nob. atq; Excell. Dn. Praes. in Syntagm. Jur. Feud. cap. 9. aph. 3. num. 13.* Neque removentur procreati à parentibus, qui sponsalia quidem inivere, sed propter mortem fortè alterutrius, sponsi scil. vel sponsæ, solenni copulatione ac benedictione sacerdotali nuptias celebrarunt; ista enim solennitas Ecclesiastica non ad ipsam matrimonii essentiam pertinet; sufficit, quod essentialia matrimonii adsint, & licet peccaverint contra ordinationes Ecclesiasticas, dū, antequā nuptiæ solenniter celebratæ fuerint, concubuerint, & adhuc, si super vixerint, illas adhibere teneantur; non tamen propter hoc peccatum parentum, & solennitatum harum defectum, ipsum matrimonium est nullum, adeòq; nec ex illo procreati illegitimi sunt vocandi. *Nob. atq; Excell. Dn. Praes. cit. loc.* Neque emancipati, quia filii per emancipationem non desinunt esse filii *l.3. §.5. ff. de bonor. poss. contr. tab.* nec ulla est differentia inter hos & illos, qui adhuc sub patriâ potestate sunt *Nov. 118. c. 2. in fin.* Ergò etiam hi propter generalitatem textuum *I.f. 8. II.f. 11. II.f. 50.* successores sunt legitimi.

VI. Ordo verò & modus succedendi talis adhibetur: nim. Primô ordine vocantur descendentes; *v.g.* filii,

lii, nepotes, & sic consequenter in infinitum; sed modus secundum quem succedunt talis est: Filii Patri defuncto succedunt æqualiter, & inter se feudum in capita dividunt. *l. f. 1. §. 1. in fin.* Major facit divisionem, minor autem habet electionem, quod tamen consuetudo ad duos tantum filios restrinxit; hodie enim si Vasallus plures reliquit, per sortem aut officium judicis fieri solet divisio. Hic modus tamen non procedit, si feudũ est regale annexam dignitatem habens, tale enim quia est individuum, exclusis reliquis fratribus integrum relinquitur primogenito. *A. B. Car. IV. tit.* **von der Churfürsten Nachkommen wegen** *7. v.* **und gebieten demnach** *rc. junct. tit. 24.* §. **denn wenn andere Fürstenthum** *v.* **darumb wollen wir.** Vel, si primogenitus inhabilis extiterit, secundo genito & sic deinceps. *A. B. d. tit. 24. d.* §. **Denn wenn andere.** *v.* **Es sey denn daß er seiner Sinn beraubet.** Neque procedit, si feudum nimis est tenue, ita, ut facta divisione ad singulos exiles portiones redirent, tunc enim consuetudine introductum est, ut unus frater feudum retineret, & aliis pro portione hereditaria in pecunia satisfaceret; eandem tamen pecuniam rursus in emtionem feudi conferre, & fratrem, à quo pecuniam adepti sunt in simultaneam investituram suscipere, vel pecuniam ex feudo redactam feudalem efficere debeat. Notandum tamen (1.) quod in ceteris feudis majoribus *v. g.* Ducatus, Marchionatus, Comitatus &c. de notoria Germaniæ consuetudine liberi æqualiter succedant, non tantùm, quod ad jurisdictionem & administrationem attinet, sed quoq; ratione bonorum partes capiant. *Schrader. de feud. part. 7. cap. 5. n. 7.* Quamvis de Jure Saxonico aliter obtineat, & Dominus ex defuncti liberis unum tantùm investire teneatur;

dum-

dummodo ceteris posteà ab investito fratre satisfiat. Landr. *lib.1. art. 14.* (2.) quod huc non pertineant illa feuda tenuia, quæ commodam divisionem recipiunt, hæc enim non secus, ac alia dividuntur communi modo. Verum si existunt nepotes, pro-nepotes &c. ex diversis filiis, illi sive soli succedant, sive cum illis qui sunt diversi gradus, *v. g.* Patris fratribus, non in capita sed in stirpes succedunt. *1. f. 8. in pr.* neque à filiis, licet remotiores sint gradus, removentur, quia jus repræsentationis in linea descendente in infinitum valet, & hic est primus ordo successionis, *2. f. 11. in pr.* qui procedit tàm in feudo novo quam antiquo.

VII. Alter ordo est collateralium in linea transversa, & afficit tantum feudum antiquum, qui tunc demum locum habet, quando defuncti descendentes deficiunt; Hic autem non quilibet collaterales intelliguntur, sed agnati tantùm, & quidem ex primo acquirente descendentes. *II. f. 11.* In hoc ordine primùm locum occupant fratres *d. II. f. 11.* qui æqualiter in capita succedunt, nilque refert, an sint consanguinei, an Germani; Licet enim in fructibus feudi à solo separatis, qui allodiales censentur, utrinque conjuncti consanguineis præferantur, attamen, quantum ad successionem feudalem ipsam spectat, quia in hac non vinculum ex parte matris, sed sola agnatio consideratur. *d. II. f. 11.* inter illos differentia nulla est, nisi feudum sit fœmineum seu maternum, & merè hereditarium; in hoc enim frater Germanus consanguineum excludere videtur. Pari itidem modô liberi fratrum cum fratribus eorum Germanis & consanguineis in stirpes jure repræsentationis tam in feudis simpliciter hereditariis, quam in iis, quæ dicuntur ex pa-

cto & providentiâ, succedunt, *ibidem*. Sin talis casus emergat, ubi defunctus nullos prorsus fratres relinquat, sed ex fratribus prædefunctis nepotes diversi numeri existant; non poterit decidi ex Jure Feudali, sed propterea recurrendum est ad jus civile. *II. f. 1.* & dicendum, quod non in stirpes sed in capita succedant *l. 1. §. fin. ff. si pars. hered. pet.* ratio est, quia sunt æqualis gradus, ideòque etiam æqualiter debent admitti. *l. 14. §. 1. v. Illo procul dubio. l. 15. §. 3. v. illo etiam observando. C. de legitim. hered. l. 2. §. 2. ff. de suis ad legit. hered. §. 4. in fin. Inst. de legit. agn. success.* Quam sententiam confirmavit Carolus V. Comitiis Spirensibus Anno 1529. Reichs Abschied zu Speyer *Anno 29. tit.* Käyserliche *Constitution* und Satzung/ wie Bruder oder Schwester-Kinder rc. Consentit Jus Saxonicum *lib. 1. Landr. art. 17.* Weichbild. *tit.* Schwester und Bruder-Kinder sind ein ander gleich.

VIII. Non extantibus fratribus aut fratrum filiis, tunc deinceps agnati ad successionem admittuntur, observatâ tamen gradus prærogativâ, ita ut agnatus proximior remotiorem excludat. *II. f. 11.* Proximitas autem colligitur non respectu ejus qui feudum primus acquisivit, sed respectu Vasalli defuncti, & observatur computatio quæ continetur in legibus. *II. f. 27.* h. e. Juris Civilis: quia per excellentiam hæ intelliguntur. *arg. II. f. 1. & §. 2. Inst. de I. N. G. & Civ.* non verò juris canonici, quod probo, quia jure feudali successio olim non erat ultra quartum gradum. *I. f. 8. §. 1.* & tamen jure feudali successio olim non erat ultra fratres patrueles. *I. f. 1. §. 4.* Exinde sequitur, quod jure feudali fratres patrueles sint in quarto gradu; verùm eodem gradu non distant jure canonico, sed jure civili, *l. fin. 10. §. 15. v. eodem gradu. ff. de grad. & affin.*

affin. &c. Non autem promiscuè collaterales usque ad infinitum gradum succedunt, sed distingui debet, utrùm ex acquirente feudum immediatè ex pacto ad transversales transitus sit factus; an verò feudum primò ad descendentes & posteà ab his ad collaterales devenerit. Priori casu non ad infinitum, sed ad septimum gradum usque succedunt. *I.f.1.§.4.* Posteriori autem casu successio in infinitum devolvitur *d.§.4: II.f.50.* Dicta tamen licet in feudo novo regulariter non procedant, nihilominùs (1.) si expeditione in hostem domini communibus armis vel equis fuerit acquisitum, vel promeritum *I.f.20. II.f.12.* (2.) Si statutum aut consuetudo alicujus loci ita fert, ut in feudo etiam novo fratres ceterique agnati succedant, quia enim feuda tota dependent à consvetudine, & moribus, ideòque facillimè variari & mutari possunt, fratres, ipsorumque descendentes fratri sine liberis decedenti succedunt. De Jure Saxonico aliter obtinet ut patet ex thes. 24.

IX. Consideratis itaque qui succedere possunt, facilè dignoscendi sunt, qui à successione arceantur. Arcentur scil. feudi incapaces, quales sunt vel naturâ, vel jure tales. Naturâ feudi incapaces sunt inhabiles ad præstanda servitia *II.f.36.* Hinc excluduntur fœminæ *I.f.1. §.3.* tam defuncti filiæ *II.f.23. §.fin.* quam ejus agnatæ à latere. *II.f.11. v. ad filias.* quod in tantùm verum est, ut ne ipse quidem Dominus in præjudicium agnatorum dispensare & fœminis successionem concedere possit. Neque in feudo Ecclesiastico German. Krumbstabs Lehn/ it. Krumbstabisch Lehn/ etiamsi tritum sit : Der Krumbstab schleust niemand aus/ hoc enim est falsum, cum nullo peculiari textu, nullâque firmâ ratione probari possit, imò

ipſe uſus in plurimis locis reclamet ; ubi verò fœminæ admittuntur, id non jure ſucceſſionis, ſed ex ſingulari conſuetudine fieri dicendum eſt. Roſenthal. *c. 7. concluſ. n. 6. lit. 3.*

X. Notandum prætereà eſt, quod, licèt fœminæ non in feudum, tamen in pecuniam ex feudo redactam ſuccedere poſſint, ratio eſt, quia talis pecunia nō habetur pro feudali. *II. f. 26.* imò licèt tempore diviſionis vel venditionis convenerit, ut pecunia feudalis efficiatur, aut etiā ex illa aliud feudum emere teneatur, ſed hoc nondum perfecerit & ita naturâ pecuniæ in fecundum non mutatâ deceſſerit, pecunia iſta nullatenus habetur pro feudali, & proindè ad bonorum allodialium transfertur heredes. Succedunt etiam in meliorationes & impenſas in feudum à parente defuncto factas, quæ ſolvendæ ſunt à quovis ſucceſſore, ſive ſit filius ſive agnatus; quamquam ſucceſſori optio detur utrum precium meliorationum factarum ipſe ſolvere, utrum verò pati velit, ut à fundo feudali auferantur. *II. f. 28.* De Jure Saxon. omnes meliorationes quæ ſolo fixæ ſunt, ſive ſint neceſſitatis, ſive utilitatis, ſive voluptatis gratia in feudo impenſæ quo etiam referuntur ædificia, unà cum feudo ſucceſſoribus *v. g.* filiis & agnatis cedunt Landr. *lib. 2. art. 21. v.* Hat auch ein Mann einen Sohn. ꝛc. Excipere tamen volunt Dd. molam alatam pneumaticam Windmühle / quam non ſucceſſoribus feudi, ſed defuncti vaſalli heredibus tribuunt. *h. m. Dn. Svevus cit. loc. thſ. 8.* Ad iſtas verò conſequendas fœminis earumque heredibus duo potiſſimum prodita ſunt remedia. (1.) Jus retentionis, poſſunt enim tam diu rem feudalem retinere donec ipſis de meliorationibus & impenſis ſatisfactum fuerit. (2.) Actio perſonalis

ſive

ſive condictio, qua uti poſſunt contra feudi ſucceſſorem, cui rem feudalem meliorationibus & impenſis non deductis reſtituerunt, vel alio caſu poſſeſſione ejus exciderunt.

XI. Fœminis asſimilantur (1.) clerici, dum in hoc tertio conveniunt, quod æque ſervitia militaria præſtare non posſint; nam milites Chriſti non poſſunt eſſe milites ſeculi *II. f. 21.* & propterea rectè à ſucceſſione feudi arcentur. *II. f. 26. §. 4. v. qui clericus:* Etiamſi per alium ſubſtitutum ſervire vel habitum religionis depônere & ad ſecularem vitam redire parati ſint. *II. f. 30. in fin.* Quod enim primum attinet, propterea alium ſubſtituere non poſſunt, quia ſervitia feudalia ſunt perſonalia, alias enim facilis ad ſuccesſionem pateret aditus, offerendo ſubſtitutum, & ita fœminæ etiam per ſubſtitutum ſervire posſent, quibus tamen non permittitur; Ergo nec clerici, qui iſtis comparantur *I. f. 36.* Quod ad ſecundum: *Nob. atq; Excell. Dn. Præſ. cit. loc. aph. 9.* hanc rationem addit ſpecialem: quod cum quis ſemel per aſſumtionem habitus religionis planè factus fuerit inhabilis ad habendum feudum atque omnimodo inde excluſus. *II. f. 26. §. 4.* non fiat rurſus in præjudicium agnatorum, aut etiam Domini, habilis. *II. f. 29.* Hoc tamen intelligendum eſt de re non amplius integrâ ſi *nim.* non vivente Patre habitum religionis depoſuerit, ſed poſt mortem patris & cum jam alius ad ſuccesſionem miſſus. Nec refert, cujus ordinis ſint clerici, ſive ſint Cardinales, ſive ArchiEpiſcopi, ſive Abbates, ſive alii in prælaturæ dignitate conſtituti, ſive Monachi.

XII. Conſuetudo tamen loci contrarium ſuadere poteſt, unde *Berlich. p. 3. c. 39. n. 18.* monet, quotidianam

experientiam testari, quod principes reformatarum Ecclesiarum in feudis succedant etiamsi Clerici facti fuerint; Pari modo *Schulz Synops feud. cap. 8. n. 95.* dicit, in Germania consuetudine receptum esse, ut Clerici & Canonici feuda, quæ habent, retineant, atque in feudis succedant. Unde multo magis succedunt equites religiosorum ordinum *v. g.* Hierosolymitani, Rhodienses, Melitenses, & Teutonici, quia hi non reliquerunt arma militaria, sed potiùs militiæ magis sunt addicti, cum ideò ut pro religione Christiana contra Turcas & alios Anti-Christos pugnent, ad Insulam Mellitam & alia loca missi sint. Nisi legibus & conditionibus ordini sint devincti, ut Domino nequeant præstare ea, quæ juramentum fidelitatis exigit. *vid. Nob. atq; Excell. Dn. Præs. cit. cap. aph. 9.*

XIII. A Jure feudali communi non recedit Jus Saxonicum; Regulariter enim Clericos propter generalitatem textus Lehnrecht. *cap. 2. in princ. ubi disertis verbis:* Pfaffen sollen Lehnrechts darben: arcet, licet per substitutum servire, aut habitum religionis (nisi ante delatam successionem vivo adhuc patre se clericatu abdicaverint) abjicere velint. Landr. *lib. 1. art. 25.* Quod tamen per *Nov. Elect. part. 3. const. 28.* mutatum reperimus, quæ non solum equites sacrorum ordinum ut patet ex §. hierauß folget auch/ ubi habentur hæc verba: daß die Ordens Herren und *Milites Hierosolymitani* viel weniger in *Succession* der Lehngüter können außgeschlossen werden/ sed ceteros etiam clericos, Canonicos & alias personas Ecclesiasticas (non rejiciens rationem: quod Domino per substitutum servire possint) ad successionem admittit. Excipiuntur ab his Monachi, nisi vitam Monasticam relinque-

linquere & monachatui planè renunciare, statumque laicorum assumere velint. *Const. Elect. 28. §.* so viel aber die Münche/ alias enim, quia nihil habent proprii, sed omnia monasterio acquirunt. *auth. Ingressi C.de S.S.Eccles.* feuda retinere, aut in iis succedere non possunt. Foeminis (2.) assimilantur Hermaphroditi, & propterea à successione feudi arcentur. *arg. II.f.36.* nec distinguitur uter sexus prævaleat; licèt feudistæ communiter statuant, quod tunc demum, si magis in sexum foemineum, quam masculinum incalescat, à feudi successione arcendus, sin magis ad masculinum quam foemininum sexum inclinet, admittendus sit. A priori sententia non discrepat Jus Saxonicum, ut patet ex Landr. *lib. 1. art. 4. inpr. ubi:* Auff allzuviel stirbet weder Lehn/ noch Erbe. In foro tamen altera sententia observatur & distinctio ista secundum. *l. 10. de stat. hom.* adhibetur. *b. m. Dn. Suevus. cit. loc. thes. 9.*

XIV. Ulterius natura feudi incapaces efficit imperfectos qui sunt vel animo, vel corpore tales; Animo imperfecti sunt: furiosi & mente capti. Ad hos tamen referre non debemus prodigos, cum ipsis sæpè allata ratio cesset, & servitia non minùs, quam ceteram fidelitatem præstare possint, etiamsi libera bonorum administratio penes curatorem ejus remaneat. Corpore imperfecti sunt: Surdi, muti, coeci, claudi. Utrique enim vel propter animi & judicii defectum, vel propter corporis imbecillitatem ad servitia feudalia inepti sunt; unde, ne dominus servitiis suis defraudetur, æquum est, eos ad successionem non admitti. *arg. II.f.36.* imò etiamsi dominus ipsis servitia remittere, & in præjudicium filiorum vel vel agnatorum, ad quos, imperfectis exclusis, feudum pertinet, eos investire velit, nihilominùs jure impediatur. *I.f.8.*

I. f. 8. §. 1. ratio est, quia Dominus ab initio perfectum elegit, quapropter sententiam suam in præjudicium filiorum & agnatorum, quibus jus ex prima investitura quæsitum est, non potest mutare *arg. II. f. 30.* Secus est, si de solius Domini præjudicio agitur, tunc enim imperfectis, ut etiam aliis inhabilibus gratiam exhibere utique potest.

XV. Quæ diximus de imperfectis, omnes tangit, sive natura, sive ex accidenti tales facti sint; & in quolibet feudo locum habent, sive sit novum sive antiquum. *I. f. 6. §. 2.* Intelligimus autem omnimodam imperfectionem, non aliqualem, ut in surdastro. *I. f 6.* aut talem quæ arte medica potest curari. *Nob. atque Excell. Dn. Præs. cit. loc. aph. 10. n. 6.* Notandum tamen, licèt imperfectus *v. g.* Mutns, aut surdus parens non succedat, filii tamen ejus, si extent, non obstante, quod sucessio non fiat per saltum, admittuntur; si verò ad agnatos semel feudum pervenerit, licet postea imperfecto nascantur liberi, illud per hos agnatis non potest auferri. Imperfectos etiam removet jus Saxonicum, quod præter prædictos quoque addit leprosos & nanos seu pumiliones, Landr. *lib. 1. art. 4. ibi:* Auff Getzwerge / Krüppel / Stumm / Sinn- und Witzlose oder sonst unvollkomlich *rc.* Aussätzige stirbet kein Lehn. Præterea tamen notandum, licet tales, sicuti ex dictis apparet, feudum non possint acquirere, acquisitum tamen ante imperfectionem, propter supervenientem non expelluntur, Landr. *lib. 1. art. 4. post med. ubi habetur:* Hette aber ein Mann Lehn empfangen / ehe daß er also worden ist / das verleuret er damit nicht.

XVI. Jure incapaces sunt: (1.) Nepotes, pronepotes &c. ex filia, nepte &c: (2.) illegitimè nati. (3.) adoptivi. (4.) quivis in linea ascedente (5.) cognati. (6.) conjuges,

(7.) affi-

(7.) affines (8.) Patres spirituales & ceteri extranei. Nepotes &c. ex filiâ jus feudale à successione arcet. *II. f. 11. I. f. 1. §. 3.* Ratio in eo posita esse videtur, quia successio fieri debet secundum ordinem juris *§. 7. Inst. de legit. Agn. success.* Filia autem, in cujus locum nepotes succedere cupiunt, naturâ feudi fuit incapax; unde, cum plus commodi filiis suis relinquere non possit quam ipsa habuit, *l. 120. de Reg. Jur.* Matris radice amputatâ, rami quoque, seu ejus filii decidunt. Illegitimè natos vocamus quosvis, qui extra matrimonium sunt prognati, sive sint naturales, sive spurii, sive incestuosi, sive adulterini, aut quicunque ex hisce geniti, qui indistinctè ad successionem non admittuntur. *II f. 26. §. 4. v. naturales filii;* Nec ipsos juvat legitimatio per oblationem curiæ, vel per rescriptum Principis, etiamsi nominatim ad feuda fuerint legitimati, probo id ex generalitate textus *II. f. 26.* hoc simpliciter negantis, unde rescriptum, quia beneficium Principis debet fieri sine alterius præjudicio. *l. 2. §. 16. ne quid in loc. publ. fiat.* quod prolixiùs probatum est thes. 3., successori non poterit præjudicare; Ergo (1.) non filiis legitimè natis, quia Parens dum à Domino feudum accepit, iis per investituram jus succedendi acquisivit. *I. f. 8. 14.* §. 1. (2.) neque agnatis. *Gail. lib. 2. obs. 140. n. 21.* quia etiam isti ex primo acquirente jus quæsitum habent. (3.) neque domino, si ad ipsum feudum redit, id enim esset contra naturam feudi, quæ consistit in hoc, ut nihil sine consensu Domini de eô possit disponi. *II. f. 52. 55.* licet Schraderus *de feud. p. 7. c. 5. n. 23.* in feudo novo de filiis contrarium statuat. Possunt tamen illegitimè nati succedere, quando consentiunt illi, quorum subest præjudicium. Non dissentit Jus Sax. quod illegitimè natos à successione repellit. Lehnr. *cap. 2. in pr.*

XVII. Quod adoptivi à feudi succeſſione arceantur, colligi poteſt ex theſ. 5. quia nim. ad ſucceſſorem requiritur ut ex ſanguine primi acquirentis proveniat, quod tamen de adoptivis non poteſt affirmari, quia adoptio nihil ad ſanguinem confert. *l.23. de adopt.* hinc rectè non admittuntur. *II. f. 26. §. 4. v. adoptivus.* alioquin per iſtos agnati, qui ſecundum primi acquirentis inveſtiturã ſunt vocati excluderentur, & Domino invito ex aliena familia obtruderetur Vaſallus, quod tamen non debet fieri. *II. f. 12. circ. fin.* Incapaces feudi porrò invenimus quosvis in linea aſcendente *II. f. 50. ab init.* ratio eſſe videtur, ne ſcil. inutilis Domino ſit proprietas, quod tamen fieret, ſi utile Dominium in aſcendentes, & deinde ab his iterum, caſibus ita ferentibus, in eorum deſcendentes, atque ita deinceps tranſiliret. In foro Saxonico idem obtinet, & nullus aſcendentium ordo agnoſcitur. **Lehnr.** *cap. 6. ibi:* **welcher Man keinen Sohn hat/ der erbet die Gewehr des Guts an seinen Herren** / *junct. cap. 21. in fin.* ubi habetur, **es vererbet niemand kein Lehn einen andern ohne der Vater auff den Sohn.** Succedere tamen poſſunt, ſi ſtatutum vel conſuetudo loci, in quo feudum, de cujus ſucceſſione agitur, ſitum eſt, id permittat. *arg. l. 9. ff. de J. & J.*

XVIII. Ulterius incapaces exiſtunt cognati, abſurdum enim eſſet ſucceſſorẽ plus juris habere, quam eum, in cujus locum ſuccedit; Uti probatũ Th. 16. & conjuges, inde uxor marito & maritus uxori ſuccedere prohibentur. *I. f. 5.* ſicuti etiam affines *l. 7. C. comm. de ſucceſſ.* (ſub quibus etiam comprehenduntur vitricus, noverca & privignus *arg. §. 6. Inſt. de nupt.*) item Patres ſpirituales, quales vocamus, qui aliquem ex S. S. baptiſmo ſuſcepe-

runt,

runt, & denique reliqui extranei *i. e.* qui nullo vinculo agnationis & cognationis defuncto sunt conjuncti, repelluntur. Nec dissentit Jus Saxonicum, ut patet ex *Gloss. in art. 3. lib. 1.* verbis: Die Schwagerschafft und Gevatterschafft hindern am ehlichen Leben / fordern aber nichts zum Erbe. Et hæc de unâ specie successionis.

XIX. Quoniam tamen pactum interdum contra feudi naturam, quod nihilominus debet servari. *II. f. 48. post med.* adjicitur, dum feudum constituitur; ideoque præter istam successionem emergit altera, sed impropriè talis, vi cujus etiam incapaces succedere possunt. *II. f. 50.* quæ posset vocari successio propter pactum, & describi, quod sit jus succedendi in feudum à Domino sub conditione, si ad ipsum redierit permissum. Constituitur autem duobus modis, vel enim eam solus Dominus, vel Dominus & Vasallus possidens ex singulari conventione tribuunt. Quando solus Dominus tribuit successionem vocatur expectativa. Germ. Ein Geding/ ein Expectantz/ Lehn expectantz/ Angefall/ Anwartschafft/ Anwartung eines noch verledigten Lehns / it. Gnaden Lehn/ außgebeten Lehn. *Nob. atq; Excell. Dn Præs. Syntag. Jur. feud. cap. 6. aph. 9.* Quando verò Dominus & Vasallus feudi Possessor jus succedendi tribuunt, illud fit diversimodè: aut enim ipsi investituræ, inter Dominum & Vasallum celebratæ, adjicitur pactum, quod quidam alias non successurus, câsu contingente, in feudo succedere debeat. *II. f. 14. in fin.* aut singulare pactum de succedendo in feudo inter Vasallum possessorem & alium consensu Domini initur; cujus generis pacta sunt confraternitates Principum & Illustrium familiarum Erbverbrüderung. *Nob. atq; Excell. Dn. Præs. cap. 9. aph. 13.* quæ eum in finem susce-

ptæ

ptæ sunt ut ex mutua, & stabili successione, defensione, fide & concordiâ fraternâ familiarum senescentium splendor & dignitas conservetur. *Nic. Reusn. 1. cons. 7. n. 54.* Adeoque alterius stirpe extinctâ, ad alterum patrimonium eorum & Principatus istâ successionis lege pervenit: Tale confraternitatis pactum inierunt Seren. Duces Saxoniæ cum Landgraviis Hassiæ. Johannes Fridericus II. Johannes Wilhelmus & Johannes Fridericus III. cum Principibus Hennebergicis, ut his deficientibus ad Cels. Duces Saxoniæ perveniret comitatus Hennebergicus & contrà Hi in districtu Coburgensi succederent; Cujus vigore etiam illi successere. Plura exempla adducit *Schönbornerus, c. 13.*

XX. Propter hanc speciem successionis succedunt fœminæ in feudo fœmineo. Germ. Weiber oder Kunckel Lehn quod pacto in literis investituræ adjecto ad fœminas est transitorium, non autem in illo, quod fœminæ expresse in feudum masculinum concessum est, alias verò in tali feudo admittuntur. *I. f. 2.* non aliter tamen quam si omnes descendentes masculi ex primo acquirente deficiant. *I. f. 8. §. 2.* Ratio est, quia ea feudi natura est, ut locus fœminæ in successione, quam diu masculus superest, patere non possit. *II. f. 17.* quod autem in talibus feudis succedat, fit propterea, quia eô ipso, quod vel feudum fœmineum primitùs fœmina acquisivit, vel Dominus pacto in literis investituræ adjecto ad fœminas transitorium concessit, à communi feudorum naturâ & tenore receditur & fœminæ ad ejus successionem, deficientibus masculis, admittuntur. Simul tamen cum masculis succedunt, si feudum ita datum sit, ut masculi cum fœminis & fœminæ cum masculis succedant, cum hoc

hoc casu omnis sexus prærogativa tollatur. *II. f. 104. §. 1.* Non autem; si feudum in investitura pro masculis & fœminis vel pro filiis & filiabus nudè sit concessum; dictio enim *CUM* impottat successionem simultaneam, nōn eadem vis particulæ *ET* inest, undè in hoc filiis extantibus filiæ excluduntur. *1. f. 6. §. 1.* Eadem Juris dispositio est in progenie ex linea fœminea; licèt enim feudum sit transititiū ad fœminas, & ita quodammodo fœmineum factum, nihilominus fœminis, quæ in eô volunt succedere, masculi præferuntur, licèt remotiores sint; quod si verò feudum per successionem fœminæ jam dum acquisiverunt semel admissæ per supervenientem, seu postea natum masculum non excluduntur, sed feudum in totâ vitâ retinent, quia ipsis propter existentiam causæ scil. defectum masculi, jus successionis est quæsitum, adeoque, licèt eâ causâ posteà desinat, puta per masculum supervenientem, jus tamen ipsum retinetur *l. 4. C. quando dies legati cedat.* nec propterea solvitur *l. 57. §. 1. in fin. ff. de evict.* Undè superveniens masculi nativitas nusquam in Jure Feudali inter modos feudum amittendi numeratur.

XXI. Licet hôc in feudô fœminæ à masculô excludantur, propterea non censentur perpetuò exclusæ, sed mortuô istô, ad successionem feudi tunc etiam admittendæ sunt. *1. f. 8. §. 2.* etiamsi *1. f. 6. §. 1.* dicatur quod fœminæ ulteriùs non admittantur, aliud tamen est non admitti, aliud excludi; Hoc enim, dicit *b. m. Dn. Svevus cit. loc. Thes. 7.* spem successionis omnem adimit, illud verò modò suspendit; Si igitur dicitur citato loco: Ulterius non admitti, id est accipiendum ita: quod scil. removeantur, vel non admittantur, donec masculus existat.

ſtat. Succedunt porrò fœminæ in feudo franco Germ. Freylehn/ vel etiam conditionato, ſeu conceſſo ad certum ſervitium, item in feudo cenſuali; Dominus namq; ſervitia planè remittens, vel ſervitio tali, ad quod tam mas, quam fœmina habilis, vel loco ſervitiorum cenſu certo contentus, fœminas æque ac maſculos ad feudi ſucceſsionem cenſetur admittere. *Nob. atq; Excell. Dn. Præſ. cit. loc. cap. 9. §. 8. n. 2.* ubi addit hanc rationem, quia ipſe Dominus removit id, quod aliàs fœminas excludit; unde etiam in iſtiusmodi feudis ſimul cum maſculis, niſi appareat ex inveſtiturâ, dominum ſolum maſculos heredes intelligere, ſuccedunt. Succedunt denique fœminæ in feudo merè hereditario Erblehn; quia in hoc ſucceditur communi modo. In iisdem caſibus, quibꝰ fœminæ admittuntur, idem jus habet Clericus, qui inſuper etiam à feudo Eccleſiaſtico repelli non debet. Item furioſi mente capti, ſurdi, muti, cœci & claudi, ſi feudum eſt ab omnibus ſervitiis liberum, aut alias illud, vel etiam ipſe imperfectus ita ſit comparatus, ut non obſtante iſtâ imperfectione poſsit ea, quæ ratione feudi alicujus exiguntur, præſtare, ſuccedere poſſunt. *Nob. atq; Excell. Dn. Præſ. loc. cit. n. 7. & 8.*

XXII. Succedunt porrò vi pacti nepotes ex filia, ſed perinde ut fœminæ *i. e.* deficientibus demum omnibus ex linea maſculinâ prognatis, iisdemque caſibus. Illegitimè nati, ſi ipſe Dominus feudi eos expreſsè ad ſucceſsionem velit admiſſos, vel ſi Dominus inveſtiat talem pro ſe & filiis ſuis natis & naſcituris, ſciens Vaſallum non alios quàm naturales, ſive legitimatos habere item matri feudum fœmineum habenti, & ſi alios poſt ſe liberos legitimos relinquat ſimul ſuccedere poſ-

ſunt.

funt. *Arg. l. 2. l. 8. unde cognat.* licèt id neget *Schrader. de feud. part. 7. c. 5. n. 29.* Item, adoptivi etfi alias ne quartam quidem ex feudis confequi poffint, tamen fi nominatim pacto inveftituræ fuerit cautum, ut adoptivi fuccederent, id quod ex jure feudorum ipfis denegatur, ex hâc fucceffione confequi poffunt. *II. f. 48. poft. med.* item fratres in feudo novo, fi (1.) Dominus vel exprefsè in id confenferit vel adjecto inveftituræ pacto, quod frater debeat fuccedere fratri. *I. f. 1. 14. & 20. II. f. 12.* (2.) fi feudum novum eft conceffum jure feudi antiqui. (3.) fi eô tenore in feudô fratres fimul funt inveftiti, ut quamdiu ipfi vel eorum heredes viverent, feudum haberent. *II. f. 18.* (4.) fi tacitè iftam fucceffionem admiferit, quæ tacita voluntas colligitur, fi Dominus fratres in communione bonorum vivere & feudum ex communibus bonis paternis vel alias utriusque nomine comparatum effe fciverit. *I. f. 20. II. f. 12.* (5.) fi fratres focii fimul acquifiverint, (aut alter fratrum fuo & alterius nomine ex bonis communibus vel armis communibus) feudum, & fimul de eo inveftiti fuerint, vel faltem alteri fratrum pro fe & fratre fuo inveftituram acceperit. *d. I. f. 20. II. f. 12.* (6.) fi cuilibet fratrum feudum datum fit in folidum. (7.) Si fit feudum merè hereditarium.

XXIII. Vi hujus fucceffionis fuccedunt afcendentes *v. g.* Pater fi favore filii feudum antiquum refutaverit, ut filius inveftiretur; quia Patre eâ lege refutante feudum, ut filius & ejus heredes id poffiderent; undè ifta conditione deficiente ad priftinum ftatum revertitur; & ita recuperatio & confolidatio magis, quam fucceffio vocanda eft; Succedit etiam, fi filius refpectu benè meritorum patris, ejusque contemplatione de feudo inve-

ftitus

ſtitus fuerit. *arg. l. 6. in fin. ff. de collat.* item ſi feudum & merè hereditarium. *arg. Nov. 118. c. 3.* Et hiſce caſibus aſcendentes non ſolùm ſuccedunt, ſed etiam fratribus defuncti præferuntur, & maximè eo caſu, quo feudum antiquum Pater filio refutavit vel ipſi, poſteà absque deſcendentibus maſculis demortuo, vendidit. In foro Saxonico idem obtinet & omni caſu, quo aſcendentes, in feudum ſuccedere poſſunt fratres defuncti excludere videntur. *arg. text.* Landr. *lib. 1. art. 17. in pr.* Cognati itidem ſuccedunt, ſi ſpecialiter in inveſtiturâ ipſis eſt proſpectum, ſive feudum ſit antiquum, ſive novum. Item Conjuges in feudo merè hereditario, puta caſibus iis planè ſingularibus, quibus in allodialibus admittuntur. Huc etiam refertur de conſuetudine Saxonicâ recepta ſimultanea inveſtitura Germ. die geſamte Hand/die mit Belehnſchafft/ quæ poſſet deſcribi, quod ſit actus quo Dominus conſenſu poſſeſſoris Vaſalli, aliquem, fidem ipſe promittentem, ſolenniter in Vaſallum recipit, eiq; jus in feudo cum aliô commune, per quod in illud ſuccedit, tribuit. Hujus virtute etiam affines, Patres ſpirituales & quicunq; extranei ſuccedere poſſunt. Quomodo autem differat ab inveſtitura Jure Communi tradita, & quæ hujus alias ſint requiſita. *vid. Nob. atq; Excell. Dn. Præſ. cit. loc. aph. 14. & 15.*

XXIV. Hoc tamen notandum quod Jure Saxonico extra hanc præter liberos nemo poſſit ſuccedere neq; in feudo novo neque antiquo. Undè nec agnati ex jure agnationis, ſed vi ſimultaneæ inveſtituræ ad ſucceſſionem vocantur. Nicht aus Krafft der Erbſchafft oder angebohrner Sipſchafft ſondern allein aus Macht des Gedings und geſambter Hand an Lehn. Lehnr. *cap. 6. & cap. 21.* Et quidem omnes pariter, ſive proximiores ſive remotio-

motiores sint, nisi (1.) in literis investituræ addita sit clausula: Nach rechter Sipzahl/ hæc enim clausula operatur ut successio secundùm regulas Juris feudalis communis formetur, & proximior remotiori præferatur. Lehnr. *cap.3. ibi:* dieweil sie auch das Gut *&c. Coler. decis. 52. n. 17. seqq.* Servato tamen jure repræsentationis *Schulz Synops. Feud. cap. 8. n. 149.* (2.) Vel omissâ quidem in literis investituræ illâ clausulâ nihilominus de proximioribus aliquid contineatur *v. g.* daß die nähsten Vettern im Lehn succediren sollen; tunc enim secundum graduum prærogativam vocati censentur. (3.) Nisi de consuetudine sit ita receptum, ut proximiores remotioribus simultaneâ investiturâ gaudentibus præferantur. Id quod in terris Thuringiæ observari & simultaneam investiturã semper secundum gradus prærogativam intelligi tradit. Schultz. *cit. loc. n. 151. Matth. Coler. part. 1. decis. 52. n. 16.* quæ tamen itidem intelligenda sunt, servato Jure repræsentationis: Nec obstat, quod aliàs Jure Saxonico communi, quod ad lineam collateralem, jus repræsentationis locum non habeat, sed remotiores per proximiores gradu *Nov. Elect. p. 3. Const. 18. §. fin. v. g.* filii fratris per defuncti fratres excludantur. Landr. *lib. 1. art. 3. sub fin.* Nam diversum obtinet de Jure Saxonico feudali, id probo *ex Nov. Elect.* in quâ dicitur, quod in feudis fratrum præmortuorum simultaneè investitorum filii unà cum patruis jure repræsentationis in stirpes admittantur. *Part. 3. const. 27.* Neque huic obstare videntur illæ clausulæ in investiturâ adjectæ *v. g.* Nach rechter Sipzahl *vel* daß die nähesten Vettern im Lehn succediren sollen / quia ordinem potiùs juris in succedendo, quam solam graduum prærogativam respiciunt, atque id tantum operantur, ut, cum alioquin in

D suc-

succeſſione feudali nulla agnationis ratio habeatur, Lehnrecht *d. cap. 6. & 21.* agnatio propter iſtam clauſulam adjectam in conſiderationem veniat, & iſtam prærogativam, quam habet de Jure Civili, recuperet; ſufficit interea quod ultrà fratris filios ſuum effectum ſortiantur. *Nov. Elect. part. 3. conſt. 29.* Quod autem dictum de neceſſitate inveſtituræ, id usque adeo ſtricti juris eſt, ut, ſi poſt mortem Patris fratres feudum dividunt, per ejusmodi diviſionem ſimultanea inveſtitura pereat, adeoque ſibi invicem, niſi poſt factam diviſionem ſimultaneam inveſtituram denuo ſint aſſecuti, ſuccedere prohibeantur. Lehnr. *c. 32. in pr.* Ein Herr mag vielen Brüdern *&c. v.* wenn ſich aber *&c.* Id confirmatur *Nov. Elect. part. 2. conſt. 45.* §. gleicher Geſtalt.

XXV. Quia tamen res tranſire ſolet cum ſuo onere. *l. 17. C. de diſtract. pign.* cum naturæ conveniens ſit, commodum ſuum ſequi incommodum. *l. 10. ff. de Reg. Jur.* inde non iniquum eſt, quod ſentiens commodum ſucceſſionis etiam ſentire debeat concomitantia incommoda; quæ proveniunt ſi feudum cum onere exſolvendi debita à Vaſallo contracta ad ſucceſſorem tranſit; ut autem ſciamus quo caſu id contingat, diſtinguendum eſt inter feudum hereditarium Erblehn & ex pacto & providentia Stamlehn. Feudum hereditarium eſt vel merè tale vel mixtum, in illo cum planè inſtar rei allodialis ferè ſe habeat, ſive conſenſus Domini intervenerit nec ne. Vaſallus cui feudum defertur, quævis onera ſentit; ſed in feudo mixto hereditario non aliter quam cum conſenſu Domini. In feudo ex pacto & providentia, diſtinguitur inter onera feudi. Germ. Lehnſchulden / & onera Vaſalli Erbſchulden.

XXVI.

XXVI. Onera feudi vel veniunt ex oppignoratione, vel ipso Jure inhærent; Si veniunt ex oppignoratione, tunc aut solus Dominus consentit in istam, aut soli agnati, aut Dominus & agnati consensere. Primo casu successores feudales, si feudum est novum, quia causam succedendi ab ipso oppignorante habent, debitum utiq; solvere tenentur, (non tamen illi, quos Jur. Sax. simultanea investitura ad succesionem vocat. *Dn. Carpz. p. 2. c. 46. def. 4.*) Sin feudum est antiquum, tunc succedentes, quia ipsis nõ consentientibus vi primæ investituræ nullũ potest fieri præjudicium nullo modo tenentur. Secundo casu, (nisi feudum alicui expresse concessum fuerit cum potestate pro lubitu oppignorandi. *arg. II. f. 48.*) oppignoratio planè est invalida, adeoq; nullas etiã respectu agnatorum habet vires *Dn. Franzh. lib. 3. resolut. 8.* (nisi agnati præter consensum se ad debiti solutionem adstrinxerint, tunc enim quin obligentur, nullum est dubium. *Dn. Carpz. p. 2. c. 46. def. 10.*) Ergo multo minùs posteà vires accipere & successorem ad debitum solvendum obligare poterit. Tertio casu, nisi fortè consensus expiraverit, agnati qui consensere, eorumq; descendentes creditum exsolvere tenentur; Consensus autem expirare potest, quando restringitur ad tempus *v. g.* biennium, triennium &c. Quo tempore elapso & prorogatione non impetratâ jus pignoris extinctum est. *Magn. Dn.* Richter/ *Præceptor meus omni, qua per est, reverentiâ afficiendus, de Conc. credit. Claß. 4. Sect. 2. n. 102.* Quæ verò jam dicta sunt de oppignoratione expreßâ referri nolumus ad tacitam hypothecam, cum enim jure feudali singulariter traditum sit, ut nulla hypotheca absque consensu Domini valere posit; quapropter nec tacita hypotheca alias Jure

 Civili

Civili statuta, locum habere poterit, id quod affirmat. *Const. Elect. p. 2. c. 25.* nisi moribus circa certa onera contrarium observetur. Quanquam etiam *Constit. Elect. 45. in fin.* tacitam hypothecam, si agitur de dote repetenda, expreßè permittat, item si agitur de dotatione filiarum Vasalli. Torg. Außschreib. *45.* §. Es trägt sich offt zu. Vel de legitima ex novis feudis filiabus præstanda. *Hart. Pist. 2. q. 38. n. 63.* Idem statuendum est si agitur de tacitâ hypothecâ, quam prætendit pupillus in bonis tutoris, nam & illa in subsidium justa est.

XXVII. Onera feudi, quæ ipsô Jure feudô inhærent, secundum æquitatem ex feudo à quolibet possessore veniunt præstanda. *Berlich. p. 2. conclus. 55. n. 35. & 80.* Et debentur vel simpliciter, vel in subsidium ob singularem causæ favorem. Quæ simpliciter debentur, ante excussionem rerum hereditariarum seu allodialium ex feudo sunt præstanda. *Nob. atq; Excell. Dn. Præs. Synt. Jur. Feud. cap. 14. aph. 6. n. 1.* Et sunt. (1.) Debita in ipsius feudi utilitatem versa. (2.) residuum precii quo feudum est emtum. (3.) Dotalitium. Ad primi generis debita nisi Vasallus litem temere susceperit, refertur solarium advocati. Quod secundum attinet, ita statutum est in *Const. Elect. 46. p. 2.* Tertium German. vocatur Leibzucht / Leibgeding / gegenvermächtnüß / & inter personas Illustres Witthumb; ac posset describi, quod sit donatio, quam facit Maritus, vel etiam eo mortuo successor feudi in compensationem dotis ad hoc, ut uxor post mortem mariti, usque ad vitam ea utatur fruatur. Constituitur autem dotalitium potissimum in feudalibus, & interdum etiam hisce deficientibus in bonis allodialibus. Landr. *lib. 3. art. 75. in pr.* & quidem duobus modis; vel enim reditus annuus

viduæ

viduæ solvitur. *Dn. Carpz. 4. resp. 54.* Vel certum feudum traditur ipsi, & usus fructus illius conceditur, quo posteriori casu cautionem præstare, inventarium conficere, & collectas solvere tenetur. *Nob. atq; Excell. Dn. Præs. cit. loc. aph. 9. n. 3.*

XXVIII. Diximus in definitione dotalitii, quod fiat in compensationem dotis; deficiente verò hâc causâ, maritus, vel eô defunctô ejus heredes ad dotalitium constituendum compelli non possunt. *Nov. Elect. p. 2. const. 44. in pr.* Quod usque adeò verum est, ut, etiamsi in vitâ mariti pactis dotalitiis de dotalitio constituendo conventum esset, vel etiam vidua post obitum mariti dotem inferre parata sit, dotalitium petere non possit. Schultz *c. 8. n. 233.* Unde petens dotalitium dotis illationem prius probare tenetur; nec confessio mariti dotem sibi numeratam fuisse asserentis, licèt heredes mariti obligatos reddat, agnatis in feudo succedentibus nec creditoribus præjudicat, & ita non relevat viduam ab onere probandi, dotem esse illatam. Viduæ tamen non statim dotalitium constituatur si probavit dotem fuisse illatam; sed etiam priùs constare debet, an dos illata in utilitatem feudi sit conversa, nec ne; si priùs nullum est dubium, quin dotalitium constitui debeat. Sin posterius, distinguendum est inter successores, filios scil. & agnatos; filii quia non possunt venire contra factum parentis, tenentur dotalitium constituere; agnati verò & alii successores non tenentur; hi tamen in casu dubio debent probare dotem in utilitatem feudi non esse conversam, præsumtio enim est pro viduâ & sufficit probasse dotem realiter numeratam & illatam fuisse. Dantur prætereà quædam exceptiones, quibus viduæ licèt dotem vivente ma-

rito non solverit, modo posteà offerat; dotalitium tribuitur: (1.) Si mariti culpa factum sit, quo minùs dos exacta fuerit. (2.) si dos ad certum diem promissa sit, & antequam is veniat, maritus moriatur. (3.) si maritus saltem simpliciter de dote solvenda fidem habuit. (4.) Si dos, ab alio, quam ab uxore solvi debuit. Schultz. *cit. loc.* Quamvis de jure moderno & consuetudine præprimis Saxonicâ expeditum sit, ut, licèt uxor vivente Marito dotem promissam non intulerit, attamen si post mortem ejus eandem adhuc offerat, ei successores feudi dotalitium constituere teneantur, nec attenditur, utrum mulier in morâ solvendi fuerit, nec ne; modo dotem offerat unâ cum debito interesse, nisi heredes mariti vel alii successores illud viduæ condonaverint.

XXIX. Modus verò in constituendo dotalitio talis adhibetur, ut reditum vidua percipiat exæquantem usuras legitimas, pro quantitate illatæ dotis duplicata computandas. *Nob. atq; Excell. Dn. Præs. cit. loc. aph. 11.* Et hic modus si observatur dotalitium de bonis feudalibus constitui potest absque agnatorum, simultaneè investitorum, & Domini feudi consensu: Sin non observatur talis modus, utique illorum consensus requiritur, alias illud quod excedit, inutile est, non vero totum dotalitium. *arg. l. 34. post pr. C. de donat.* De Jure Saxonico contrarium observatur, & heredes dotalitium absque eorum consensu in bonis feudalibus constitutum, etiamsi modum legitimum & usitatum excedat, servare tenentur; Ergo multo minus requiritur eorum consensus, si in bonis allodialibus dotalitium constituitur. LandR. *lib. 3. art. 75. in pr.* nec interest, si bona allodialia sunt avita *arg. l. Nov. Elect. p. 2, const. 12.* Suggerit tamen Schultz *cap. cit.*

n. 243.

n. 243. hanc cautelam, quod nim. ad evitandas disputationes tutius incedant illi, qui consensum Domini & agnatorum (hi enim absque causâ sufficienti dissentire non possunt) adhibuerint.

XXX. Porrò si mulier dotem quidem tribuit, sed ei vivente marito dotalitium non est constitutum, in libera viduæ electione positum est: utrum vel dotem illatam unâ cum fructibus seu usuris repetere, utrum eâ dimissâ dotalitium postulare velit. *Nov. Elect. part. 2. const. 41.* Si verò mulier constitutum dotalitium semel agnovit, tunc eo relicto dotem repetere non potest. *Nov. Elect. part. 2. const. 43.* & è contrario, si repudiato dotalitio dotem petiit, posteà dotalitium postulare non potest, sed viam quam elegit tenetur ambulare, & sufficit, quod ab initio tam liberam eligendi facultatem habuerit, ut ne ista, licèt in pactis dotalibus aliter sit constitutum, propterea impediri posset. Remedia quibus dotalitium consequitur vidua, hæc sunt: (1.) Competit ipsi contra successores feudales condictio. (2.) si fuerit in possessione bonorum feudalium, jus retentionis. (3.) si dotalitium in feudo quodam à marito ritè constitutum est, potestas propriâ autoritate occupandi. *Nob: atq; Excell. Dn. Præs. cit. loc. aph. 14.* Constituto itaque dotalitio vidua, ut patet ex definitione, usque ad mortem quidem utitur; nihil tamen, quod proprietati præjudicat, facere potest. *arg. l. 22. C. de Jur. dot.* Intereà dos illata prorsus extinguitur & penes mariti heredes, atque successores feudi pleno jure remanet. *Nov. Elect. p. 2. const. 42.* nisi pactis dotalibus aliter conventum sit. Interdum tamen & do-

te naturali. Priùs probo *arg. l. 8. §. 3. 5. C. de repud.* Nisi maritus vel dissimulando, vel tacendo, vel expressis verbis delictum commissum condonaverit. *Nov. Elect. p. 2. Const. 21.* Huc autem non spectat si post obitum mariti luxuriosè & in fornicatione vivat. Posterius probo *per tex.* Landr. *lib. 1. art. 32. in pr.*

XXXI. Eveniente itaque tali casu de fructibus solet controverti ad quem nam pertineant? R. Priori casu indistinctè pertinent ad successores mariti. Posteriori casu distingui debet inter fructus naturales, industriales, & Civiles, si sunt naturales, tunc aut sunt percepti & separati, aut adhuc in fundo feudali pendent. In istis viduæ heredes succedent. In his verò inter novum feudi successorem, & viduæ, vasallive heredes fit divisio. *arg. l. 7. ff. solut. Matrim.* De jure Saxonico fructus naturales unâ cum fundo feudali ad novum transeunt possessorem *arg.* Landr. *lib. 2. art. 58.* nec excipiuntur fructus, qui ex pomariis percipiuntur, ut sunt: Poma, pira, &c. nihilq; refert, quod quidam distinguant per textum Landr. *lib. 2. art. 58.* utrum vidua ante diem Urbani, an verò post illam decesserit; Hæc enim distinctio in foro non attenditur, cum expressè sublata sit *Nov. Elect. part. 3. Const. 31. §:* Die Früchte aber.

XXXII. Fructus industriales pendentes quod attinet, illi modo ad feudi successorem, modo ad viduæ heredes pertinent. Ad feudi successorem perveniunt, si vidua ante calendas Martii vel post Augustum decesserit; Ad viduæ verò heredes spectant si vidua medio tempore inter Martium & Augustum moriatur. *II. f. 28. §. his consequenter.* Singulare tamen est in illis fructibus qui tardius percipi solent, ut vindemiarum, qui heredibus

viduæ

viduæ addicuntur etsi post Augustum mense septembris decesserit vidua *Nob. atq; Excell. Dn. Præs. Syn. Jur. Feud. cap. 15. aph. 16. n. 4.* Jure Saxonico omnes fructus industriales, qui ex agro sato & rastris subactis proveniunt, (was die Egde bestrichen hat) ad defunctæ viduæ heredes pertinent. Landr. *lib. 2. art. 58. Nov. Elect. p. 3. const. 32.* Idque etiam procedit in fructibus hortorum, qui curâ & industriâ hominum proveniunt. *v. g.* rapæ lactuca &c. Si enim horti in vitâ viduæ sunt fossi culti, sati & subacti, fructus exinde nascentes ad viduæ heredes pertinent, ut patet *ex* Landr. *allegat. loc.*

XXXIII. In fructibus verò civilibus, ut sunt: decimæ, annuus census &c. distinguitur, utrum dies vivente viduâ venerit, necne; Priori casu ejusmodi fructus civiles ad heredes viduæ pertinent. Posteriori autem casu si nim. ante diem solutionis vidua decedit, tunc ratione temporis inter heredes viduæ & novum feudi possessorem dividuntur. *arg. l. 7. ff. solut. matrim.* A Priori casu non dissentit Jus Saxonicum, quod omnes decimas, censûs, reditûs & alios fructus civiles viduæ heredibus tribuit. Landr. *lib. 2. art. 58. v.* Zinß von Mühlen. Quod etiam confirmat. *Nov. Elect. p. 3. const. 32. §.* was aber. In posteriori tamen casu subdistinguit, utrum decimarum, censuum & redituum annuorum dies intra aut post trigesimum diem à morte viduæ venerit. Si post mortem viduæ intra trigesimum venit, tunc decimæ, census, re-

neque post mortem ejus intra trigesimum venerit, tunc hi fructus inter heredes viduæ & novi feudi possessorem dividendi sunt. *Nov. Elect. p. 3. const. alleg.* Et hæc dicta sunto de oneribus quæ ex feudo simpliciter debentur.

XXXIV. Quæ debentur in subsidium, ob singularem causæ favorem, sunt: (1.) Educatio atque dotatio filiarum. (2.) Alimenta filiis ob animi corporisve vitium ad succedendum in feudo inhabilibus præstanda. (3.) legitima eorum, qui in eâ læduntur & (4.) impensæ in funus defuncti Vasalli erogatæ. Circa educationem filiarum notandum, quod ex feudo, si aliunde haberi non potest, tam diu, donec nubant pro familiæ dignitate & facultatibus feudi debeant ali; Æquitas verò consistit in eo, quod nim. durum & inhumanum foret, eam à feudo, quod parens habuit, ita excludi, ut ne alimenta quidem ei relinquantur & ita vel fame interire, vel cum dedecore Parentis mendicare aut de corpore suo turpem quæstum, quo se sustentare possit facere cogatur. Dotem quod attinet illa debet esse congrua, cujus quantitas, si de eâ inter partes non convenerit, committitur Judici. *Coler. l. dec. n. 18.* nec opus est ut agnati intersint isti determinationi. De consuetudine Thuringicâ ita obtinet, ut dotatio in singula florenorum millia, quibus feudum ratione proventuum communiter æstimari solet, quinquaginta floreni computentur; Et ex feudis debetur potissimum, si vasallus vel nulla vel exigua bona allodialia, quæ filiabus dotandis haut sufficiunt, possederit. In foro Saxonico ita observatur, ut, si patre defuncto filia, undè dotari possit, non habeat, frater, sive agnatus, vel quicunque successor, ex feudo secundum dignitatem personæ, ac quantitatem Patrimonii eam dotare tenea-

tur;

tur; quantitas verò ejus magis ex jure & arbitrio Domini feudi, quam lege feudali æstimatur. Dicta tamen non accipi debent, quasi priùs ipsis, quam æs alienum exsolvitur, dos debeatur, quod probo exinde, quia dos constituitur ex bonis paternis *l. 60. l. 69. §. 4. ff. de Jur. dot.* quod autem pater alteri debet, id non est in bonis suis. *l. 39. §. 1. ff. de V. S.* Ergo nec dos constituitur nisi ære alieno soluto. *l. fin. in pr. ff. quæ in fraud. cred.* & per consequens æs alienum ante dotes creditoribus persolvendum venit. *l. 8. §. 9. ff. de inoffic. testam.* Sed detracto ære alieno dos filiabus adeò debetur, ut ipsis etiam nomine dotium in feudis paternis jus retentionis tamdiu, donec dos constituatur, competat.

XXXV. Alimenta inhabilibus præstanda sunt, sive feudum sit magnum (undè in feudo Regali frater succedens erga reliquos fratres se pium exhibere, iisdemque pro familiæ dignitate alimenta assignare tenetur. *A. E. tit. 24. §.* **denn wenn andere Fürstenthümb** / *sub fin.* **und sich gütlich und mildlich beweisen.**) Sive parvum; nec obstat. *I. f. 6. §. 3.* ubi verba: si feudum fuerit magnum non hanc continere videntur restrictionem, ac si aliud obtineat, si feudum fuerit parvum, sed solùm exprimunt quod inhabili, muto, aliisque imperfectis ex feudo magno plenè & uberrimè relinqui debeat, unde se sustinere possint. *Nob. atq; Excell. Dn. Præs. cit. loc. aph. 18. n. 2.* Ceterum illegitimè natis alimenta non debentur de jure stricto; Moven-

28. n. ult. licet Berlich. *concl. 55. n. 70. & 71.* Contrarium statuat.

XXXVI. Quamvis legitima filiabus ex feudis, nisi sint hereditaria, non debeatur, adeoque nec in eâ possint lædi, ex hâc ratione, quia legitima debetur tantum illis, qui ab intestato sunt successuri. *l. 6. §. 1. l. 8. §. 8. ff. de inoff. testam.* fœminam autem in feudis non succedere, constat ex thes. E. nec legitima ipsis debetur, & per consequens, in eâ non possunt lædi. Nec dissentit Jus Saxonicum cujus vigore filiæ, (quibuscunque feudum fuerit concessum) legitimam petere non possunt ut patet ex *Const. Elect. tit.* **Ob Töchter aus neu erkaufften Lehngütern** *legitimam* **zu fordern haben** / *vers.* **in allen andern Fällen aber so das Lehn alt/ Großväterlich/ oder auch allein Väterlich were/** *&c.* **sol daraus den Töchtern keine** *legitimam* **zu fordern gebühren und zustehen.** Casus tamen obvenire potest, quo legitima ipsis non est deneganda, puta: Si pater omnia bona sua allodialia, vel maximam eorum partem distrahat & in emtionem feudi convertat; Non obstantibus quæ dicta sunt superius ad ea enim respondet *Nob. atq; Excell. Dn Præs. cap. 14. aph. 19.* Concedendo quidem, ex ipso feudo in se considerato non posse peti legitimam; tamen ob comparationem feudi, quâ filiæ in legitimâ defraudantur, illos, ad quos venit à Patre feudum, filiabus satisfacere teneri. Non diversum obtinet, in Electoratu Saxonico. Quantitas tamen non observatur ea, quæ à jure communi definita est, sed talis adhibetur modus, ut, si fortè duo vel tres tantum liberi relinquantur, quadrantem, & si quatuor vel plures sint superstites, trientem legitimæ quantitas non debeat excedere. Ceterum, si pater feudum antiquum vendiderit, &

ex illius pecuniâ redacta novum feudum emerit, aut novum feudum ex liberalitate Domini acceperit, filiæ ex feudo legitimam petere non possunt. Successores feudi etiam obstrictos esse impensas in funus defuncti Vasalli exsolvere, summa urget æquitas, & singularis causæ favor, ne scil. demortuus, non sine quadam ejus injuria insepultus jaceat. *Nob. atq; Excell. Dn. Præs. cit. loc. aph. 20.* Et hæc de oneribus feudi.

XXXVII. Propter onera Vasalli contracta debita successores feudales non indistinctè solvere tenentur. *II. f. 45. in pr.* sed distinguendum est inter feudum novum & antiquum; feudum novum, quia jure successionis defertur ita, ut successores causam succedendi obtineant à defuncto, propterea isti in subsidium ex feudi fructibus ad satisfaciendum creditoribus defuncti teneri statuimus. In feudo verò antiquo subdistinguimus inter personas succedentes, filium & agnatos, seu reliquos; filius etiam hæc debita solvere tenetur, non tamen agnati & ceteri successores. Jure Saxonico quia agnati non nisi vi simultaneæ investituræ, adeoque jure proprio etiam in feudo novo succedunt, quapropter ad æs alienum solvendum, nisi cum feudo quoque hereditatem allodialem adierint non obstringuntur; Eadem Juris dispositio est, si succedunt in feudo antiquo.

XXXVIII. Ne autem successores feudales, cum beneficium neminem debeat decipere. *l. 17. §. 3. ff. de*

sunt adire, *i. e.* vel absque inventario, vel cum beneficio inventarii. Si feudum & hereditatem simul repudiant, nulla onera exsolvere coguntur, quoniam commodum non sentientes neque incommodum sentire debeant; Item: si feudum retinent & hereditatem repudiant, nisi de consuetudine aliud sit receptum, vel nisi feudum sit Regale, in hoc enim successores debita à prædecessore utiliter contracta agnoscere debent, licèt non simul sint heredes in allodialibus. Sin successores feudum & hereditatem adeunt, tunc non quidem ut successores feudales sed quatenus heredes onera hereditaria ferre tenentur, & quidem si adeunt cum beneficio inventarii, tunc non ultra vires hereditatis, si verò absque inventario adeunt, etiam ultra vires hereditatis tam de Jure communi quam Saxonico tenentur. Landr. *lib. 1. art. 6. in pr.* In foro tamē Saxoncio nihil interest, an inventarium confectum sit, nec ne, cum nunquam ultra vires teneatur heres. *Schrader. part. 7. c. 7. n. 34. v. quod tamen.* Singulare quoddam est in filio, qui hisce beneficiis planè non gaudet, sed utrumque aut debet retinere, aut utrumque (feudum scil. & hereditatem) repudiare *II. f. 45.* Nec, si illud cum inventario apprehendere velit, ipsum quicquam juvat, nam debita à patre contracta etiam ultra vires hereditatis exsolvere tenetur. *Const. Elect. 47. part. 2. ibi* wollen auch daß alle andere *diction de confectione inventarii* dißfals zu übergehen sey. *Ord. Torgens. tit.* welcher Gestalt die *Agnaten* und Mittbelehnten §. da aber ein Vater bey seinen Leben *post. pr. v.* und doch am Erbe so viel nicht verhanden/daß von denselben die Schulden bezahlet werden mögen. *ibi*: oder auch die Söhne ein *Inventarium* gemacht hätten. Ratio, quâ filii hâc in parte deterioris conditionis sint,

quam

quam agnati, in eo posita esse videtur, quia filii, cum habeant esse suum à parentibus, strictius teneantur honorem parentum defendere quàm agnati.

XXXIX. Deficientibus tandem legitimis successoribus, non fiscus, sicuti de Jure Communi obtinet. *l. 4. C. de bon. vacant.* succedit; sed ad Dominum revertitur. *l. f. 13.* & quidem regulariter liberum, quia Dominus non ex successione; verum jure Dominii directi illud recipit; Hinc nec in feudo hereditario, nec in feudo ex pacto & providentia, sive fuerit novum sive antiquum, nisi hypotheca ejus consensu fuerit constituta, ulla sentit onera, adeò, ut nec residuum precii, quo feudum est emtum solvere cogatur; in ceteris feudi & Vasalli oneribus eodem jure, quod habet agnatus secundum supra dicta, utitur; sicuti etiam in ejus commodo, undè si quando Vasallus defunctus varia habuit feuda, tunc quilibet Dominus eas res expeditorias, quas in suo feudo invenit lucratur; sicuti etiam meliorationes, sive necessitatis sive utilitatis sive voluptatis gratia sint adhibitæ; & quidem pleno jure, absq; ulla oblatione & refusione pretii & inpensarum. Landr. *lib. 2. art. 21. v.* wird es aber freyledig seinem Herrn. *Const. Sax. tom. 2. part. 2. q. 38. n. 2. & seqq. Nov. Elect. part. 3. const. 31.*

Tantum ratione instituti.

Corollaria.

1. *Feudum neq; nobilitat, neq; Regalia possidenti confert.*
2. *Vasallus potest esse major suo Domino.*
3. *Imperium nostrum non est feudum Pontificis.*
4. *Fœminæ feudum dare possunt.*
5. *Liberi antè acceptam à patre nobilitatem nati non æq; sunt nobiles, ac posteà nati.*
6. *Agnatis, dum feudum alienatur, competit Jus* προτιμήσεως.
7. *Feudum emtum non est improprium.*
8. *Appennagium inter illustres personas usitatum est æquitati conveniens.*
9. *Vasallus Dominum suum de crimine accusare non potest.*
10. *Sub infeudatio Vasallo permissa est.*
11. *Cambium non est inter contractus usurarios referendum.*
12. *Vasallus Domino invito feudum refutare potest.*
14. *Salgamum militibus est præstandum.*
15. *Vicariis de feudis Regalibus investiendi nulla est concessa potestas.*
16. *Fidelitatis juramentum per procuratorem præstare Vasallo licet.*
17. *In feudo præscripto investitura non est necessaria.*
18. *Vectigal inter Regalia numerandum est.*
19. *Q. An Studiosus abituriens, qui aliena bona rebus suis adjicit, iisq;, quo à vectigali immunes sint, generaliter inscribit:* Studenten Guth: *re compertâ bona sua amittat. Negatur de Jure; Verùm praxis ipsius casus admodùm videtur periculosa.*

FINIS.

